

A D S. D. N.
CLEMENTEM VIII.
PONTIFICEM MAX.

¶ Oratio habita

DVM PHILIPPI III. POTENTISSIMI
Hispaniarum, & Indiarum Regis Catholici
nomine obedientiam exhiberet

D. FERDINANDVS RUIZ DE CASTRO, ET
Andrade, Comes de Lemos, Prorex Neapol. meritis sumus

A Didaco del Castillo Sacrae Theologiæ Doctore Hispano Cano-
nico Ecclesiæ Cathedralis Palentini.

*Roma in Consistorio Publico apud Sanctum Petrum die 23. Mensis
Martij Anno Iubilai 1600.*



SUPERIORVM PERMISSV.

ORATIO.

I quem latum atq. optatum diem, hæc
Vrbs toto terrarum Orbe celeberrima,
multis ab hinc annis vidit, is profectò
Pater Beatissime hodiernus iusto rerum
æstimator, aut vnus videbitur, aut certè
erit in lætissimis, atq. optatissimis nu-
merandus; in quo potentissimus Philippus III. Hispania-
rum Rex Catholicus Tuæ Sanctitati seipsum, & Floren-
tissima, atq. amplissima Regna suæ ditioni subiecta in hoc
omnium augustissimo, & sanctissimo Senatu, conspe-
ctuq. tuo, diuini istius imperij maiestatem veneratus,
& Sanctissimi tuis pedibus prouolutus deuotè subiicit, &
quam debet Christi in Terris Vicario obedientiam polli-
cetur. Erant sanè Hispaniarum Regna ob clarissimæ me-
moriæ Philippi II. obitum, iusto dolore confecta, tam-
quam optimo Principe, & amantissimo parente orbata,
qui studio, atq. amore religionis, & iustitiae, animi magni-
tudine, in aduersis rebus fortitudine, & in prosperis mode-
ratione, nulli vnquam secundus fuit. Sed tantum hære-
dem, paternū nomen, & auitas virtutes referentem con-
sequuta, mirificè recreari, & exhilarari cęperūt: quia non
solum loco demortui parentis Philippus III. Regni guber-
nacula, sed etiā virtutū omniū ornamenta suscepit, quibus
instructus sibi relictū Imperiū stabilire, feliciter propaga-
re, & aduersus Catholicę religionis hostes tueri, animiq.
excelsi, & invicti magnitudine, ac robore, illorū impetum
repellere, audaciam comprimere, & victoriam possit de
illis, atq. opima spolia reportare. Verūm Rex noster aliā
longè maiorem esse debere animorū lētitiam existimauit,
quod nimirū ad Pontificem illum Legationem hanc debi-
tam mittat, quem eximia in Deum pietas, summa pruden-
tia cum iustitia coniuncta, meritò ad hāc Petri Sedem di-
gnitate maximam, & religione sanctissimam euexerunt,

dientiæ officia præstantem, seq. Regna, & opes vniuersas offerentem Sanctitas Sua vnâ cum his venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus læto, benignoq. animo excipit, & vicissim omnia quæ ab amantissimo parente expectari possunt, ei filio sibi in Christo charissimo, atq. Ecclesiæ Catholicæ, vt nomine ita cultu coniunctissimo pollicetur, ac toto paternæ charitatis affectu defert. Quæ de Regis animi magnitudine, morum innocentia, iustitia, ceterisq. regijs dotibus commemorasti, Sanctitati Suæ sunt iucundissima, atq. hoc nomine Hispaniæ, & reliquis eius ditionibus gratulatur. Siquidem sperat eum hisce virtutibus præditum, in populorum suorum tranquillitate tuenda ad superiorum Regum gloriam, proprium etiam decus additurum. Interea Sanctitas Sua à summo illo mundi Rectore Deo, qui gratiæ suæ dona copiosè dispensat, & dat salutem regibus, hæc illi ex animo precatur: Misericordia, & veritas illum custodiant. Clementia roboretur thronus eius. Sit subditorum suorum Rex pacificus, & optatæ cuiusq. prosperitatis, ac veræ felicitatis bonis, cœlesti cum benedictione quamdiutissimè perfruatur.

F I N I S.



Superiorum Permissu.

R O M A E,

Apud Nicolaum Mutium, M. D C.